HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. Liber XVII.

De rebus dignis.

GENTIVM RITVS.

CAPVT XCIIII.

ORSAN huic tractationi inepta hæc erit accessio, quæ nec de naturæ mirandis, neq; hominum saltem industria, sed potius de stultitia illorum agit. Nihilominus ut reliqua insignis alicuius prudentiæ argumenta adiecimus, ita hæc non minoris insaniæ. In quo genere primũ nobis, à Romanis ueluti illustrioribus, initium facere oportet. At uerò si quis integram historiam legere cupiat, apud Herodianum est. Nos ut omittere eam noluimus, ita Græca nugacitate uti in hoc opere, ubi uel syllabæ sunt expendendæ, opportunum esse non duximus. Igitur ne narratione longius sit procemium: ubi scelestissimorum uirorum, qui iam imperitassent, nomen in deos referri debuisset, ut C. Iulij, qui patriam prodidit: Augusti, qui proscriptionem fecit: Claudij ineptissimi uiri, atque aliorum, fictam imaginem defuncti quàm simillimam imponebant eburneo lecto: assident à dextra matronæ, à læua Senatus atris uestibus, quòdq; mirum est, totis diebus.

Lib. 4.

Modus quo Imperatores in deos referebantur.

Inuisunt

Intuisunt medici: quid amentiæ deesse potest? nisi ut etiam medicamenta propinent. Adijciunt & deterius, se habere ægrotantẽ, publicéq; pronuntiant. Exacta septima die, tanquam nuper mortuus qui iamdiu sepultus est, sub imagine effertur, crematur cum rebus preciosis (nec in hac nænia quicquam stultius) solenni pompa: interim interclusa aquila auolat: sicq; deus ille flammas effugiens, in cœlum ferri existimatur. Nec dubito, aliquos à plebe tam stupidos esse, qui uerè credant animam illius in auem cõuersam. Tantum possunt uulgati errores & religioni consecrati.

Quid igitur miremur Antropophagos, quos Caribbes uocant, in quibus odium (ut dixi) initium dedit consuetudini. Sed nunc constat totam Occidentalem Indiam, quæ Europa tota multô maior est, anthropophagorum esse, seu nuper fuisse: nam clementia Cæsaris nostri, potentiaq;, abolitis sunt hi ritus multis in regionibus. Non tam mirum est eò stultitiæ deuenisse, ut cõceptos ex ancillis filios ederent, indeq; matres: fœditatisq;, ut infantem ex utero matris extraherent, ac deuorarent, quod nos etiam in belluis abhoremus: sed quòd iugulandi rideant, quasi ad illos hoc nihil attineat: & tamen non ignorant primùm uiuentibus cor detrahendum, ut crudum edatur: hic enim mos est sacrificij: plures cũ possint ex ergastulis, in quibus ut sues aluntur ad saginã, aufugere, non sustiment. Ergo desinet admirari qui causas nõrit. Tantum potest causarũ cognitio, etiam in incredibilibus. Ergo hunc ritum induxit odium (ut dixi) & bellum ac necessitas, sed amplificauit suauitas edulij, & indigẽtia: nã ibi nullum quadrupes erat animal, cuius caro suauis esset gustui, non sues, boues, pecudes, capræ, cerui, equi, asini'ue. Ob inopiã igitur hãc eò progressi sunt. Verũ cũ tã ad uictos q̃ ad uictores pertineret, ut hæ humanæ uictimæ

Anthropophagi cur.

ctimæ sponte cederentur: uictis quidem, ne me metu suppli cij reliqui pugnã inire nollẽt: uictoribus, ne maiora ob metum mortis molirentur, religionẽ omniũ magnorũ malorũ atq; bonorũ authorẽ induxerũt, qua persuaderẽtur miseri, qui sic sacrificarẽtur, cum dijs in delicijs post mortẽ uiciturros. Incredibile est aũt quantũ apud imperitum uulgus possit opinio, cùm promissa pro præstandis habeant. Verùm nũc pietate Christiana, legumq; metu, propagatisq; undiq; ouibus suibus, capris, atque bobus, edocta etiam arte feras quæ adsunt, uelut cuniculi, aut lepores consequendi, abolitus est (ut dixi) magna ex parte hic ritus. Quòd si obijcias, nõ defuisse lacertos gustu suaues, serpentesq; esui aptos, paiones, quorũ ibi maxima est copia (de Indicis loquor) piscium genera innumera: respõdeo, ut nobis ieiunij tempore liquet, hæc cum carnibus quadrupedum non posse conferri, quinimò tam paucis dieb. & si testudines, & pisces quotidie edas, uires tamen ac robur corporis & ipsa caro deficiunt, ut quædam necessitas quasi impulerit ad flagitium.

Lactatio longa.

In Mexico infantes ad annum usque quartum exactum lactantur, interimq; (ut ferunt) mulier non commiscetur. In quibusdam uerò uicinis regionibus, duodecim annis pueri lactantur: ut ijdem & nutrire, & colore sobolem uideantur. Et forsan unum, alterius gratia: nec uidentur hac diuturna lactatione proficere, nisi quòd in quibusdã longè patientiores nobis sint, non tamen ad labores promptiores. Et forsan inopia eos ad hoc adegit.

Ludi borealium nationum.

In Borealibus regionibus arces è niuibus erigunt, aqua durant illas: intus propugnatores, extra oppugnatores adsunt. Cuniculos defodiunt, scalas admouent: certamen sanè pulchrum & generosum pro tyronibus & iuuentute. Ibidẽ quoniam maria congelantur, itinera dirigunt fixis inter niues &

ues & glacies palis iuniperi. Hospitia quoq; erigunt tribus aut quatuor palmis, à glacie elata, ut ab æstuarijs non dissoluatur glacies, aut clibanis: nam adeò durescit glacies, ut duorum digitorum crassitudine hominem sustineat: trium autem equitem armatũ palmi & dimidij, turmas: quatuor palmorum, integrum exercitum.

Itinera per mare cõgelatum quomodo dirigantur. Glacici duri-ties mira.

Antiquo tempore sub aurora comedebant aristum, pane & uino solo: inde ientaculum: pòst dipurum hora prandij, sed sera: & dorpum, seu cœnam. Mensæ in conuiuio perpetuò paratæ astabant. In cœnas, carnes bouillas assatas, & panem solùm edebant: inuitabant se poculis, & obsoniorũ partib. Alij uerò, & pisces & reliqua comedebant.

Antiquorũ mos de horis capiendi cibi.

LINGVARVM VARIETAS.

CAPVT XCV.

OMNIBVS linguis hoc unum cõmune est, ut res habeãt, & affectus: res quidem nominibus significant, uelut lignũ, lapis, ferrum: affectus uerò uerbis, uelut secare atq; amare: quædã etiam qualitates horũ decernunt, ut uehementer, celeriter, quæ partim aduerbijs, partim præpositionib. significantur. Ortus uerò earũ ut posterior ex priore, atq; ex mixtione, quemadmodũ etiã in naturalib. Generaliter autem, asperior lingua etiã ferociorib. gentibus cõuenit, & minus ordinata rudioribus. Est etiam commune linguis omnibus, ut initium elementi uim eius ostendat, præterquã in Latinis: nã delta & daleth, D significant, excipitur aleph & ain: at uerò apud Latinos e f nõ E, sed F profertur, ut fa. Est etiam generale hoc, ut quædã literæ ubiq; congruant, quædã non, ut F & G in latina fini: alijs locis omnes cõueniunt. At reliquæ linguæ & principio

& medio habent quæ congruant, & quæ non, non tamen omnes: nam in Græca admittuntur omnes in medio, tum etiã principio. Vocales quoq;, & mutæ, & liquidæ, & consonantes, & diphthongi, cõmunes sunt elemẽtorum affectus, maximè in Latina atq; Græca: tum unum scribi, aliud proferri, ut apud Latinos T pro C, & apud Græcos Γ ante K. Et quædã sunt mobiles, aliæ stabiles. Propriũ orientalibus est, ut punctis literæ atq; dictiones immutẽtur: illorum loco Græci characteres habent, ut χ pro χὰρ: & Latini quos uocant titulos. Sunt & articuli Græcis uelut ὁ, τοῦ: Latinis hic, huius: Arabibus, al præponitur plerisq; dictionib. Sed Græci etiam postpositiuos articulos habent, ut ὅ pro τοῦ, conuenit autẽ Græca magis Italicæ maternæ in articulis præpositiuis, quàm Latinæ: in postpositiuis autẽ neutri. Communis etiam est collisio uocalium, cũm una alteram sequitur: sed in Latina non, nisi in carminibus: in Græca & Italica materna, generaliter, sed non semper: generalius tamẽ in Italica, s communis litera, in quam plura nomina desinunt Latina & Græca, ut ferè propria omnia: inde m, & apud Græcos ν & ς. Verba autẽ Latina, o uel r: pleraq; Græca in ω uel ου diphthongũ: Arabicorum nominũ finis plerunq;, un uel u: in quam literã desinunt uerba futuri temporis. Conuenit Arabica cum Græca, quòd tres numeros habeat: duos tantùm Latina atq; Italica. Sunt & tempora cõmunia, sed Græca plura habet: sunt iterum modi, sexus, & uariationes personarũ & casuũ. Sunt & in uerbis differẽtiæ actionis ac passionis. Sunt & adiectiua et substãtiua in nominibus. Indica uocalibus caret, punctisq; utitur uocaliũ loco. Armenica Græcæ, uelut Hebræa Indicæ conformis est, sed multo magis: est enim Armenica Græca parũ immutata. Habent præterea orientales literas multas duplicatas: quoniã quædam

dam molliter, quædã durius proferãt. Sunt & linguæ Tzeruiana ex Mysia olim, et Græca materna, similes Græcæ antiquæ, ut Italica nostra Romanæ. Tzeruiana tamẽ XXX elemẽta habet, Græca uigintiquatuor, Latina nouẽdecim: nã K, litera apud nos nõ est, H aspirationis nota, Z barbara, Y Græca: reliquæ tres cõpositæ, nõ simplices literæ. Dalmatica XXXII habet elemẽta, et cõmunia partim Græcis, partim Hebræis. Id uerò cũ Hebræis propriũ, ut singulæ literæ aliquid significẽt. Est etiã alia Armenica lingua cõmunis, trigintaocto habẽs elemẽta. Omniũ igitur differentiarũ causa, fuit affectus animi, atq; necessitas affectib. subiũcta. Cõuenit plurimũ Hebræa cũ Indica (ut dixi) atq; Arabica. Velut An Indicè & Hebraicè, Ani Arabicè, significat ego. Itẽ Indicè & Hebraicè Col, Arabicè Caul, idẽ quod apud Latinos uox significãt: unde origo linguarũ atq; affinitas dignosci potest. Sic Græcis atq; Latinis, ut μόρμωρ murmur. Arabes discrimẽ in uerbis habẽt sexus, uelut & in nominib. carent q; in nominib. neutro, cuius loco fœmmino sexu utũtur. Aethiopica porrò Chaldæa pars est, ac quasi eadẽ: Chaldæa autem ipsa Hebraicæ affinis. Dictiurus ergo plura de his essem, ni ut mare linguæ perpetuò fluctuarent, atq; loco dimouerentur: at tractatio hæc solũm de æternis est.

VRBES, RES'QVE ALIÆ INSIGNES. CAP. XCVI.

ALIAS dixisse recordor, quæ ciuitates nunc maximæ sint: at nunc quæ fuerint, primũm dicere propositum est. Hæ igitur fuêre Roma in Italia, Alexandria in Aegypto, Antiochia in Syria, Byzantium in Thracia, quã etiam Constantinus mirum in modum auxit. Ciuitates olim maximæ.

Suns

Mexicum. *Sunt & aliæ procul tamen, è quibus Mexicum in Themistitam Occidentalis Indiæ centũ millibus (ut referunt) ædibus, opulenta, pulchra, caput maximi regni, in lacu semisalso, & ob id expugnabilis.*

Meacum. *Meacũ in insula Giapan, quadraginta milia ædium, hominum genus probum, modestũ, cultum, prudens, fidum: sed puerorum concubitu delectantur, & maximè sacerdotes.*

Malacha. *Malacha quoq; in aurea Chersonesso, referunt magnam esse urbem atque opulentam.*

Ormus ciuitas. *Ormus ucrò in sinu Persico, quamuis non adeò forsan magna, diuitijs tamen & hominum concursu nulli secunda: nam ad illam, ex toto terrarum orbe confluunt homines: ibi philosophi, medici, astrologiq; abundant.*

Ex harum numero non fuêre olim Sparta, licet quadragintaocto stadia, id est, passuum milia sex in ambitu haberet: nec Megalopolis, quamuis stadia quinquaginta: sed Megalopolis dimidio minor, ut Polybius refert, quòd Sparta rotunda esset. Hodie ergo frustra nostram ciuitatem admiramur, licet septem millia passuũ in ambitu habeat, rotundaq; sit: nam Sparta paulò maior est: dumq; hortos & campos qui in ea sunt considero, haud magna urbs dici debet: nec Lutetia cum sua fama, maior mihi uisa est, licet longè populosior. Verùm non sola magnitudine urbes celebrari debent, sed situ, ædificijs, institutis: atq; hæc tria solet comitari frequentia hominum, opulentia, & bonarũ artium cultus. Itaq; cum tria sint prima nobilitatis principia, totidem quæ sequuntur, de primis tribus dixisse sufficiat. Situs ergo duo exigit, ut & singula reliqua, securitatem ac decorem. Videntur igitur ad situm necessaria, maris propinquitas, & flumen nauium patiens, & colles fructiferi, ager fœcundus, aërq; saluberrimus. Pro ædificijs munitiones, fossæ, templa, ædes publicæ, domus prætoriæ, priuataq; pulchræ.

Vrbium nobilitas in quibus constet.

Et

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1230-3 DFG

Et uillæ circum urbem, & insulæ exornatæ. Moribus uerò, ut iustitia colatur, atque religio. Artes liberales in pretio sint: mechanicarum egregij artifices. Viæ rectæ, latæ, mundæ, omnia decora, omnia uenusta. Absit sordities omnis, & pro luxu cultus, pro comessationibus conuiuia, pro copia lautitia celebretur. Sint animi, & corporis exercitationes pro luxuriæ certaminibus: & mulierum casta uerecundia, ut saltē prius coëant animi quàm corpora, nec minus amet in illis mores quàm formam. Quòd si forma non desit in utroque sexu, iam nihil deesse putes. Cùm in Gallia essem, Rothomagi laus.
Rothomago quod ad situm aut ædificia pertinet, & formam etiam hominum, nihil deesse existimaui. Ciuitas iuxta fluuium nauium patiētem, insulæ ibi pulchræ, colles, ager, omnia ad amœnitatem, & fertilitatem spectabāt, nisi quòd paulò magis esset borealior, quàm ad aëris temperiem exigeretur: unde neq; umū, neq; uites: exculta ponte, ædificijs, templis, uijs est urbs ipsa. In templo maximo, quod marmoreum est, turres duæ, altitudine, ornamentoq; si quæ aliæ insignes, nam neque aurum deest. nescio an in Europa sint pulchriores. In earum altera, nola granditate terribilis ac sono. Roma meliore situ ac pulchriore: nobilior, quia Italica: nobilissima, quia mundi domina fuit. Venetiarum laudem aliâs diximus. Mediolano multa desunt ad situm, sed Mediolanum.
ingenijs felicissima, utilitatis publicæ negligentissima. Reliquorum aliâs fecimus mentionē. Lutetia, maxima est Gallicarum urbium, parumq; differt ab urbe nostra: diuiditur Lutetiæ laus.
enim à flumine Sequana, is ibi facit insulam, in qua Vrbs est constituta: à dextra pars urbis, quam Villam uocant: à sinistra, academia, quam Vniuersitatē: ita urbs ipsa in tres diuiditur partes. Lutetiæ lutum semper est in uia: unde & teter odor, & insalubris aër, & tamen populosissima. Inde à

luto

luto forsan, Lutetia dicta est, alij etymon aliunde ducunt. Ibi multi celebres uiri fuêre, quorum institutis simul & regum liberalitate, in tam egregiam multitudinem hominum aucta est. Præter has sunt aliæ non adeò nobiles, sed tamen memoria dignæ. Vnius pro exemplo sufficiat commemoratio quæ in Italia posita est. Ea est Verona urbs antiquissima, Catulli patria. Atq; laudes has quispiam non inelegan ter hoc disticho comprehendit:

Veronæ laus.

Vrbibus Italiæ præstat Verona superbis,
Aedibus, ingenijs, flumine, monte, lacu.

Londinũ.

Londinum urbs à mari paulò plus quinquaginta milibus passuum distat: sed flumen illam prætergreditur, maximarum nauium capax, Tamesis. Sed ut fatear quod sentio, non ædes magnificæ, non muri urbem præclaram faciunt, sed homines fortes, atq; præstantes, uirtutumq; cultores. Muri ædesq; cum populo ignauo aut uirtutum contemptore, corpori formoso, sed exanimi similes sunt. Fuit inclyta Sparta inter Græcas urbes, atq; (ut uerè dicam) prima, nullis tamen mœnibus circumdabatur, ædibus quoque nulla non pulchrior. Vidi Brugim in Belgica Gallia, mœnibus formosissimã, ædibus, flumine, uijs, campis, templis. Gandauum etiam longè maiorem, & (ut audio) opulentiorem, cum tot commodis, tot fluminibus in unam ciuitatem cõfluentibus, amœnam hortis, uiarum magnitudine & cultu speciosam, ædibus superbã. Louanium quoq; studijs famosam, amœnamq; hortis enim referta est. Inde Bruxellas patriam nostri Vesalij, & regiam ciuitatem, situ, ædibusq; iucundam. Ex hinc Mechliniam, Antuerpiamq;. Sed cùm omnes hæ urbes magnitudine, frequentia, & opulentia sint insignes, omnes tamẽ Antuerpia, emporiũ Europæ celeberrimũ, excedit; incredibilis enim cõcursus hominũ atq; mercium,

Brugis.

Gandauũ.

Louanium.

Bruxellæ.

Mechlinia.

Antuerpia.

cium, ex Anglia, Hispanijs, Gallia, Germania, Italia. Et quicquid opum uterque mundus habet, citrò ultróq; æquinoctialem, ibi uisitur: Scaldi flumine, marisq; aqua ab occidentali parte tam commodè alluitur, ut omnem classem, omnemq; nauum excipere possit: latissima enim hæc aqua est quæ quasi è mari in lacus, è lacubus in flumē degenerat, unde omniū piscium copia immensa. Et tamen omnibus his in ciuitatibus tria cùm sint tantū elemēta, omnia desunt. Propinquitas enim maris & mōtium distantia, facit ut nullibi gentiū aqua sit deterior: aër insalubris, ratione satis aperta, cùm dulcibus aquis salsæ immisceantur: locus uerò humilis, & occidenti expositus: cœlum quoq; frigidum atq; nubilosum: terra cœnum: neq; enim aliter tot alendis hominibus sufficeret. Terra quò minus nullū deesse possit elementum non facit: cùm mare ea in parte supra illam tantū attollatur, ut nisi per aggeres quin effluereret, mare obstaretur, iam tota sub undis periisset. Hinc Aquisgranum profecti, urbem antiquissimam Caroli Magni sede & sepulchro, calidisq; aquis celebrem, spectauimus: tanti Imperatoris residuum caluariam, aliquanto minorem, quàm ut proceritati depictæ respondeat. Coloniam deinde uidimus, antiquitate & magnitudine insignem: cæterùm nihil præcipuum, præter corpora trium Magorū. Hac inferior longè Maguntia, & ipsa Rheni, Vormatiam inde ingressa urbem, conuentu totius Germaniæ celebrem, magnam præcipuè hortis, sicut & Spiram: sed Spira cultiorem. Iuimus inde Argentoratum: urbs hæc insignis duplici muro, & fossa latissima, mœnibus Rhenus eam alluit, multisq; ramis diuisus etiam præterfluit. Inde Augustam Rauricorum, ubi pulchrè excepti sumus. In Italia, Florentia pulchritudine laudem inter cæteras meruit. Ferraria commodior, & Felsina academia

Aquisgranum.
Colonia.
Maguntia.
Vormatia.
Spira.
Argentoratum.
Basilea.
Florentia.
Ferraria.
Felsina.

demia, & situ, & opibus insignis, antiquitate nobilior. Vix tamen fieri potest, ut cuiquam nihil desit. Inter priuatorum ædes, nihil speciosius uidi domo prætoria Iacobi Castellionei, quæ ad lapidis iactum est Curiæ Rhœtorum, atq; inter cætera magnifica ædis illius tabulata, miris colorib. distincta atq; natiuis, res quæ significari non potest, nisi uideas: credi, nisi aptè significetur ac depingatur.

Ioannis Iacobi Castellionei domus pulcherrima.

Ex antiquis ædibus famosa aurea domus Neronis & Porsenæ sepulchrum atque Simandij regum. Libet autem referre ex ipso Diodoro Siculo qui id uidit, uerbisq; illius proprijs: ea autem sunt hæc: In aditu, porta erat uario lapide constructa, & huius longitudinem duorum iugerum, altitudinem quinque & quadraginta cubitorum fuisse ait. Post hanc ingredientibus aderat lapideum peristylũ quadratum, cuius singula latera iugera quatuor complecterentur. In eo, pro columnis animalia erant sita ex unico lapide decem & sex cubitorum, ad antiquam formam fabricata. Textura omnis superior tecti, cõfecta ex lapidibus duorum passuũ latitudine, uarijsq; stellis cœruleis ornata. Ex hoc deinceps alter erat aditus, & in eo porta priori similis, sed sculptura uberiore. In ingressu, statuæ tres positæ erant ingentes unici lapidis, Memnonis opus. Harum una sedens, cuius pedis mensura septem excedebat cubitos, cæteras Aegypti statuas magnitudine superabat. Duæ præterea usq; ad genu, altera à dextris, altera à sinistris filiæ, & matri minores positæ. Hoc opus non solùm magnitudine cõspicuum, sed arte mirabili, & lapidum natura excellens fuit, cùm in tanta mole, neq; fissura quæpiam, neq; macula inesset Scriptum erat in eo:

Rex regum Simandius sum, si quis qualis fuerim, & ubi iaceam, nosse uelit, meorum aliquid operum exuperet.

Esse

Esse quoq; & aliud signũ matris, ferunt unico lapide cubitorum uiginti, habens supra caput reginas tres quæ ostenderent filiam, uxoremq; se & regis matrem fuisse. Post hanc portam & aliud erat peristylum nobilius superiore, sculpturis uarijs, in quîs erat bellum contra Bactrianos, quibus regis filij imperabant, descisentes ab eo gestum aduersus hos quadringentis millibus peditum, equitum uiginti, quatuor partes diuiso exercitu, cùm profectus esset. Prima muris pars obsidionem urbis sculptam continebat, ab ea parte qua fluuius muros alluit. Rege deinde cum parte hostium congresso, leo unà cum eo inita pugna, hostes in fugam uerterat. Scriptores quidam ueram historiam fuisse, leonisq; opera domi enutriti, regem in pugna uti solitum ad uictoriam ferunt. Alij ob fortitudinem corporis præcipuam, leonis similitudine corporis animiq; uires, ipsum ostendere uoluisse. Secundus paries sculptus erat captiuis absque pudendis, manibusq; à rege ductis, quæ nota erat illos esse animo uiles & corpore imbecilles. Tertium latus sculpturis uarijs, picturisq; decoris, regis sacrificia, triumphumq; de uictis hostibus continebat. In medio peristyli latere, statuæ iacebant duæ ingentes, ex unico lapide, cubitorum septem & uiginti, ad quas tres ex peristylo aditus patebant. Has prope domus erat columnis suspensa, cuius latus quodlibet duo iugera complectebatur. In ea statuæ ligneæ positæ haud paruo numero, repræsentantes tum eos qui de re dubia disceptarent, tum respicientes eos, qui in iudicijs sententias ferrent. Hi ab una muri parte sculpti triginta numero erant, & in medio iudicandi princeps, cuius à collo suspensa ueritas penderet, & oculis esset subclausis, librorum cumulo circumstante. Hæ imagines præ se ferebant, iudices integros esse debere, prætorem solam inspice-

re ueritatem. Dehinc deambulatorium erat domibus plenum, inq; eis diuersa epularum genera suauia gustu præparata. Sculptus deinde eminens rex uarijs coloribus, aurum atq; argentum, quæ ex aureis, argenteisq; metallis annuatim ceperat Deo offerens. Inscripta quoq; summa erat omnis in argentum redacta: Minæ ter decies centena, & ducẽta millia millium. Sequebatur dehinc sacra bibliotheca, in qua inscriptum erat: Animi medicamentum. Erant deinceps Aegypti deorum omnium imagines, regis quoq; dona ferentis, quæ cuiq; competerent Deo, ostendentis insuper & Osiridem, & posteriores reges, tum in deos cultu, tũ inter homines iustitia plurimum uitæ mortalium profuisse. Ponè bibliothecam domus sita erat egregia, in qua uiginti essent Iouis & Iunonis lectisternia, regis insuper statua, ubi & regis corpus sepultum uidebatur. Hanc circumstabant plurima habitacula, in quibus picta cernebantur animantia Aegyptia, singula sacris apta, omnia sepulchrum uersus ascendentia. Circumibat monumentum aureus circulus cubitis trecentis sexaginta quinq;, unius cubiti spissitudine, in quo descripti erant per singulos cubitos dies anni, & astrorum ortus atq; occasus, quidũe ea secundum Aegyptios Astrologos obseruata, significarẽt. Eum circulum ferunt, quo tempore Cambyses et Persæ Aegyptijs imperarunt, ablatum. Hoc Simandij monumentum non solùm cæteris omnibus sumptuosius, sed & artificio excellẽtius fuit. Vnde patet antiquos, magnitudine operum & subtilitate, præsentibus atq; successoribus haud successisse: nostra autem ætate plus industriæ quàm molibus, plus utilitati ac commodo, quàm magnificentiæ consulitur. Ita unaquæq; ætas sua habet miracula.

Fuerunt etiam propria quædam & præstãtissima in singulis

gulis locis, uelut Sicionij pisces, Bœotiæ anguillæ, caseus & currus Sicilici, unguentum Atheniense, Italia bouinas carnes, Hellespontus scombros, Cyrenæ pelles bouinas, sues & canes uenaticos ex Taigeto Lacæna, & caseus rursus Lacedæmone, linum Aegyptium, Rhodus ficus & uuas passas, Euboea pira & poma, Phrygij & Arcades seruos, Paphlagonia amygdalas, Phœnices dactylos & siliginem, Lydia cupressos, Carthago puluinaria & tapetes (nunc Turcarum hæc laus est) Syria capras cum uellere, Cyprus synapim & scamonium, Miletus nasturtium, Samothracia cepam, Hymettus silphium & thymum, Tenedus origanum: Persarum reges Chalybonio uino, quod ex Damasco Syriæ aduehebatur, solum uti consueuerunt. Erant & pretiosa Chia, Thasia q; & Prammium Lesbi: sed omnium præstantissima Hermippo, apud Athenæum Saprium his carminibus:

Quæ præcipua singulę regionę ferant.

Est uinum proprio, Saprium quod nomine dicunt,
A' quo reclusis uasis & tegmine capto
Surgit odor uiolam redolens, suaues q; hyacinthos,
Tota uelut diuinus odor per tecta reclusus,
Nectar & ambrosia est simul.

Erat & mendæus, deorum (ut dicebant) lotium: ut contrà uilissimus, peparhetus. Maroneum referunt uicies tantum aquæ sustinuisse. Reliqua genera superiùs explicauimus. Sic & nunc alia alijs locis præstantissima, seu natura, seu arte.

THESAVRI.

CAP. XCVII.

Quæ in thesauris seruãda sint.

THESAVRORVM ratio in tribus constat: quæ deligenda, quomodo probanda, ubi nam sint. Nam quod ad seruandum attinet, facilis est ratio, atque alijs in locis declarata. Vnus uerò scopus est in delectu rei, præstantia: atque hæc duplex, raritate, & gratia: gratia constat pulchritudine, uel usu. Quæ uerò seruantur, alia sponte nata, alia facta. Factorum triplex genus: organum, imago, & liber: hic quidem mentis, illa rerum. Cũm igitur quatuor in tria duxerimus, fient duodecim genera eorum quæ seruari debent. Libri igitur rari, & (ut dici solet) archetypi, seruari solent: alij tametsi publici sit, ob excellentem dignitatem, quæ uel usu constat, aut uoluptate. Imagines sculptæ, fusæ, & figuli opera factæ, tum pictæ. Sed figulinæ rara materia, aut arte omninò non imitabili factæ esse debent. Plastices opera & sculptæ atque pictæ, nobiliores generaliter sunt: in his materiam & artem, & antiquitatem, & artificem, & simplicitatem, & ornamenta quædam spectare solemus, sed usus in his non est quærendus, uerum gratia uel raritas. In organis tria hæc spectare oportet, quæ & in libris: facit autem materia raritatem, aut pulchritudinem, aut usum. Similiter & antiquitas, & reliqua quæ diximus. In naturæ autem operibus, eadem tria spectanda sunt. Eligimus gemmas, os monocerotis, balsamum, sfragidem, animalium corpora, aut partes, lapidesq; raros quosdam uiribus, aut forma. Vt uerò rara sint, facit uel natura rei, ueluti balsamum, opalus, os monocerotis, pazar: uel magnitudo, ut in smaragdis: uel pulchri-

tudo

tudo magnitudini satis raræ iuncta, ut in carbunculis. Sæpe multa in unum cõueniunt: uelut uasa ex achate magna, insigniq; artificio elaborata.

Quæ uerò agnoscere expedit, sunt aurum, argentum, gemmæ, uniones, ebur, sfragis, balsamum, os monocerotis, pazar, animalia, & quæcunque naturalia artem, aut alienam imitantur naturam: uelut si lapis, crocodili formam: aut piscis, plantæ referat imaginem: aut planta, animalis. Sed gemmarum historiam alibi absoluimus. Videtur & xyloaloës his debere adnumerari. Ebur uenosum est, non ita ossa reliqua: & iuxta ignem candidius euadit, cùm reliqua ossa nigrescant: causa uenarum est, quoniam initium habet dens ac finem: non ita cætera ossa, nisi initium comparatione ad nos facta sumpseris. Verùm ossa nigrescunt, quoniam inania sunt, & multum humidi continent, siccata uerò leuia, at ebur solidum est: exposita igitur ossa, humidum quod in eis est, uertitur in fuliginem, aut quod superest, aut tenuior pars, quæ cùm protrudatur foras ob inanitates multas, necesse est superficiem nigrescere: ebur uerò cùm calescit nõ penetrat humidũ profundius, sed quod in extrema est superficie exhalat, superficiesq; ipsa dealbatur. Vnde non semper, neq; adeò manifestè: manifestè autem non nigrescit, ut os: alij ergo dentes, ut cetorum & marinorum equorum, propter hæc ab ebore non distinguentur, cùm eadem sit omnium ratio: distinguuntur ergo ob candorem eximium, si ebur sit recens, & ex dente ipso & iuniores elephantis. Solet & pondus ea distinguere. Vniuscuiusq; enim proprium est pondus, ut etiam substantia.

Modus cognoscendi res præciosas.

Verùm monocerotis cornu, quòd longè pretiosius est, uixq; senescit, dum Lutetia iter in Scotiam agerem, uidi:

Ioãnes Manienus medicus.

aderat enim fortè fortuna Ioannes Manienus Medicus, uir egregius & mathematicarum studiosus, qui nos quotidie inuisebat, est autem officiosus admodum uir. Is igitur cùm esset medicus monachorum beati Dionysij, nos deduxit ad templum illud toto orbe celebratum, quòd à Lutetia abest tribus millibus passuum, est autem augustissimum: ubi cùm sepulchra regum, statuas, cæteraq; ornamenta marmorea uidissemus, monocerotis cornu, quod in templo pendebat, demissum diligentius consideraui. Erat autem longius quàm ut extensa manu, stansq; apicem attingere possem: crassitudo exigua pro longitudinis ratione, nam duobus primis digitis utrimq; facilè complecti poterat: adeò uerò sensim in acutum tendit, ut uix minui uideatur, cùm in apice pollicis crassitiẽ retineat. Teres ubiq;, & quasi fascijs ab imo ad summum in cochleæ formam ascendentibus distinguebatur. Erant autem fasciæ quinq;, quas lineæ mediæ & ipsæ in spiræ modum ascendentes dispescebant, nulla cauitate. Neq; natura, quòd sciam, huic simile quicquam efficere solet, sed ars, quasi in torcularibus. Sed torcularia duas habent tantùm fascias, è quibus una caua est, cornu hoc quinq;: nec cauitatibus ullis, nisi admodum exiguis, interpositis: ab imo inane est, ut boum cornua: sed inanitas non maior est solidiore parte, neq; enim tenuia sunt labra: rectissimũ ad amussim. Color qualis ceruino, sed absq; ramis, & longè grauius: pendebat enim libras decemseptem cum tertia.

Thesaurus in templo beati Dionysij.

Sed his quinque notis proprijs, nec separabilibus, frusta eius agnoscuntur: prima est, ambitus ille torcularis, qui nisi ab arte fiat, nulli alij conuenit: secunda est, durities maxima, ut non quemadmodum ebur eradi facilè queat, uel acutissimo chalybe: tertia est, quòd ponderosissimum

mum est, & ebore multo grauius: nam ebur ceruino cornu, quæ parte solidissimum est, scilicet cacuminibus, paulò grauius est, reliqua parte multo, at ebore longè grauius est cornu monocerotis: quarta est, quòd exhibitum columbo, liberat ipsum à ueneno, licet ægrè, non enim pari pondere: quinta est, colos ille buxeus, quo à cornu Indicæ uaccæ distinguitur: illud enim nec pondere, nec duritie inferius est, adeò ut cognosci possit discrimẽ, sed hoc penè nigrum est, & quasi squamosum: cùm substantia cornu monocerotis, ebori non sit absimilis. His fit, ut aquæ impositum bullas non excitet: nam solidissimum est, ut diximus. Quòd si frustum magnum sit, rectitudo manifestum ueri monocerotis argumentum præbet: nullus enim dens, aut cornu rectum est exquisitè, præter illud uaccæ: sed uaccæ cornu (ut dictum est) distinguitur colore atque substantia, & præterea forma: nam est coni forma: ut in paruo etiam frusto ab imo ad summum, magnam latitudinis differentiam inuenias: cùm in monocerotis cornu, si paruum sit, nullã penè, quod in maxima longitudine (ut dixi) exiguum in ambitu discrimen habeat: pilus quoq; annexus, mollior est ceruino, coloris fusci, atq; tenuior. Ebur ceruino cornu grauius.

Balsamum iam desijsse alibi docuimus: qui tamen natura & potestate similium, etiam similes sunt qualitates: ideò ueri balsami signa hîc adijciemus. Indici enim aliâs memini. Sunt igitur hæc Syriaci balsami, id est, opobalsami signa: lanæ infusum, deinde lota lana, maculam non relinquit, & in lac positum cogit, ut coagulum: & in aqua dissoluitur ut aqua lac referat, nec supernatat. Et gustatum pungit linguam, & est acuti odoris atq; magni: durescitq; dum senescit, tuncque debilium est uirium. Et ipsum cùm illinitur corporibus mortuorum, conseruat ea. Quòd

uerò candenti ferro impositum, resiliat, uersimile non est: nam dissoluitur in aqua, quia terreum est, non adeò pingue ut supernatet: nec tenax, ut constet: nam non ex olei genere est, quamuis illi assimiletur, sed succi. Ob id etiam quòd terram partem aqueæ ualde immixtam habeat, non ingreditur lanæ poros, ideò elotum puram eam relinquit: cogit autem lac, quoniam uim habet acrem & igneam: omnia enim quæ cogunt, talia sunt: & quæ talia sunt, cùm quodam lentore cogunt, ut cnicum, coagulum, fici lac, & tithymalorum: erit igitur acre & lentum, unde linguam ferit: sed quia tenuiorum est partium, olet multum, nec graui ter tamen: ubi ergo per uetustatem tenuis humida pars resoluta fuerit, relicta terrestris cogitur, & ideò tunc redditur inualidum.

Aurum duplici modo adulteratur: uel aurichalco, uel quia solùm est in superficie, & hoc magis fallit: dignòscitur ergo pondere, sono, colore, igne: neq; enim in igne absumitur: & aurichalco longè splendidius ac ponderosius est. Et quamuis aurichalcum splendeat, tamen non adeò uiuax est splendor ut auri: aurichalcum etiam auro illitum si affricetur, seu æs, colorem amittit. Et aurichalcum denigrat cùm affricatur, & asperius auro est: nec flectitur facilè ut aurum, quòd omninò non tingit, etiam diù gestatum: aurei autem sonum mutant, non autem nummi adulterini, nec sonus admodum clarus est in auro, quàm si materia est, aut ærea, aut argentea.

Argenti uerò color, albus, purus est: nec stridet sub dentibus, nec facilè frangitur, nec pinguè est in superficie, & clarum sonum emittit cùm tenue est, nec scissum. Plumbi albi color subcroceus est, stridet sub dentibus positum, facilius q; frangitur, plumbi pondus maius, color hebetior

& nie

& nigrior, substantia mollior: & tamen facilius frangitur, cùm tenax non adeò sit. Quæ ex ære dealbato duriora sunt, colos subrubescit: pingue quippiam habent in superficie, uelut nummi antiqui argentei habere solent: nam leuiores sunt, quàm qui ex argento: sonus non adeò clarus ut argenti, multò minus qui ex plumbo albo, seu nigro: franguntur & facilius qui ex ære albo fiunt. Præterea argentum ubi confregeris, uix in ipso grana perspicies: in ære adulterato sunt manifesta, uelut & in chalybe. Argentum quoq; ignibus resistit, aliorum prædictorum nihil, sed omnia euanescunt: non tamen ita argẽtum resistit, ut nihil omninò absumatur, quemadmodum de auro aliâs dictum est: argentum etiam & si tingat, nõ tamen adeò expressè ut æs, aut plumbũ. In nummis uerò figuras impressas & literas inspicere oportet, quæ plerunq; à ueris, licet tenuiter, aberrant. nec tam exactè etiam crassior materia excipit typum ut argentum: rimæ etiã uel cuneo chalybeo factæ, quòd fieri sæpe solet, in adulterinis alienum colorem subesse demonstrant: diligenter igitur obseruandæ, quod etiam in inauratis nummis faciendum præcipio. Et generaliter adulterina & inaurata, seu margentata, mixtum habent colorem, pondus, uelut & substantiam, & plerunq; alicubi fucum ostendunt.

De pazar, aliâs scripsisse me memini: lapis enim cinereĩ coloris, sed rubiginoso mixti, cũm splendore, ut quasi gemma uideatur, fabæ longitudine & altitudine, sed latitudo tanta est quanta crassities: adeò ut fructum riccini quasi, nisi quòd longior est, referat: rectus est lapis, formamq; columnæ habet, leuis, sed mollior etiam quàm leuis: septemdecim granorum erat, quem uidi apud nobilẽ mercatorem Prothasium Cazulum Mediolanensem: facilè quoq; fran-

gitur, nec saporem scobs eius ullum refert. Mirum quàm exi gua quantitate uenenum euomi faciat, scilicet grani uni us, uel duorum: quo experimento probatur.

Misit ad me Antonius Barrius Lusitanus, uir illustris, scripsitq; mueniri in uentre capræ certi generis Bulgodalf, nomine gentilitio.

Sfragis uerò nullis certis notis dignosci potest, cùm ab ea quæ Galeni erat multum degeneret, nec niteat: nitor enim causa est, ut plurima facilius cognoscantur, nec tam facilè est mentiri splēdida. Igitur quæ uulgò existimatur optima, & pro auri pondere æstimatur ac uenditur, alij pro dimidia tantùm: terra est ex rubro alba, aspera, quasi arena, Turcicis literis impressa, in pastillos angustiores sed crassiores formata: qui mos ab ipsis etiam in nummis aureis obseruetur: ita ergo alba est, quasi rubricam undiq;, & subtilissimè, sed modicam ualde immiscueris: quòd si splendor adesset, roseum colorem meriò appellare posses. Verùm experimentum est, si scamonium cuiquam dederis, inde sfragidem, statimq; aluus subsistat, tollanturq; punctiones, hoc enim ei quasi proprium est.

Animalia in iuncturis cognoscuntur, nam glutine necessariò, aut sutura aliqua, si dolus absit, coniunctam habēt cutim. Ossa quoq; iuncturis in naturalibus constant, suntq; in iuncturis uincula, cartilagines, & ossa, quæ uocantur sesamina, licet hæc non in omnibus: cùm uerò in factitijs hæc desint, aut non congruant, nemo qui mentem adhibeat, falli potest.

Plantæ uerò difficilius dignoscuntur, sed ijsdem notis, atq; eo minus refert: ut etiā minus in lapidibus. Quid enim est, ut ob paruam rem tantum laboris aliquis sumatur? Et si sumat, in precio erit ars ipsa, quæ naturam mentitur.

Sed

Sed uniones, nitore primùm uiuaci illo dignoſcuntur: pleraque enim precioſa nitent: atque ea inter congenera, uelut gemmæ inter lapides, aurum & argentum inter metalla, uniones & coralli inter baccas, aut plantas, os monocerotis & ebur inter oſſa, pazar inter molles lapillos: itaque (ut dixi) uniones nitent, nec ſunt perſpicui, ſed nitor ille purus eſt, non pinguis, ſed ſiccus & uiuax: nam conchæ earum, & uitrum, & quæ ex paruarum puluere conſtant, perſpicuitatis omnes ſunt participes: nitor uerarum, in unum quaſi collectus, reflectit lumen clarum, xyloaloēs liqueſcit in igne uelut thus: atque id expertus eſt coram me Gulielmus Caſanatus, an omne tamen, incertum eſt, ſed id optimum.

Sunt & quædã quæ licet theſauris indigna ſint propter precium tamen & nobilitatem hîc adijcienda duxi: uelut corallus, quanquam is ſi purpureus omninò ſit & ualde nitens, ramoſus, & purus, non indignus ſit qui inter gemmas collocetur, ut qui ſit rariſsimus his conditionibus: colos uiuax eſt, & nitorem recipit maiorem, quàm is qui ex corallorum puluere factus eſt: faciliùs tamẽ ſic adulteratur quàm margaritæ, quòd margaritæ magis niteant: & quoniam in ueris margaritis plerunq; cortices ſunt, quanquã ſint etiam quæ unica & continua ſubſtantia conſtent: coralli uerò omnes cortice carẽt multiplici, ob id ueri à factitijs non tam facilè diſtingui poſſunt.

Moſchus ſapore amarus, odore dum teritur dentibus caput ferit, ſuper palmam diſtentum croceum colorem præfert, pilis exiguis, ſeu feſtucis ſimile quid continet, ſanguinem coagulatum referens: orientalis nobilior, & ueſicis continetur; occidentalis infirmior, nec continetur ueſicis.

Ambra

Ambra liquescit igne: & si gladium infixeris, hæret: tenax enim est admodum.

Zibethum nouum, candidum est: cùm inueterascit, melleum: cùm antiquum est, fuscum. Commune est his tribus odorem maximum habere & iucundum. Sed zibeto maior, moscho purior, ambræ obtusior. Et horum unumquodq; aliis mixtum modica portione plus olet quàm syncerum & multum: quo signo, uerè & euidenter ab adulterinis omnibus differunt: quæ tametsi mole sua, & nulli mixta rei optimè redoleant, si tamen paruam eorum partem magnæ ladani, uel alterius lenè, sed non immodicè olentis miscueris, hebetantur adeò ut uix sentiantur.

Porrò hæc tria celerrimè senescunt. Ex ambra probatur colore, quæ tubera diuisa refert. Zibethum etiam minùs temporis iniuriæ resistit, inde ambra, sed moschus diuisus persæpè celerius odorem amittit. Ex alijs animalia celerrimè absumuntur, inde corallus, pòst uiones, & libri: cætera sunt diuturniora. Ex his igitur quæ diu seruantur, minùs durat ebur, inde pazar, & sfragis: quamuis de his non ausim affirmare. Sed in plurima secula extenduntur, os monocerotis, gemmæ, argentum & aurum. Omnium tamen incorruptibilius uidetur esse aurum, quia perfectius, exemploq; ab igne sumpto. Balsamum cùm succus sit & medicamentum, quasi ambræ adnumerari potest: ut hæc quatuor, balsamum, moschus, zibethum, ambra: & cum his animalia, intra centesimum annum absumantur certè. Corallus uerò, uiones, ebur, pazar, sfragis, intra quingentesimum. Reliqua quatuor, multa annorum millia superare possunt, si rectè, diligenterq; custodiantur.

Quæ diuiùs seruentur.

Custodiuntur autem generaliter locis frigidis, puris, atq;

atque siccis: nam calor maximè humidus, & puluis corrumpere solet res preciosas, maximè uerò uniones: coralli, ebur, & pazar corrumpuntur ab igne, sudoreque, moscho, zibetho, atque talibus, quæ simul pinguia sunt & acria: puluis etiam hæc omnia corrumpere solet, & uentus propriè ebur dissipat. Zibethum, & reliqua minus diuturna, solo calore, seu aëre, seu humido, uel puluere uitiantur. Seruari igitur arcis debent, nec semper absque aëre, nec frequenter exposita, detersoque aëre. Libri quoque eodem modo seruantur: diligenter uerò custodiendi, ne uel ab humido corrumpantur, uel à puluere exedantur, uel ab animalibus maximè tineis, aut muribus arrodantur.

Quomodo quæ pręciosa sunt seruari debeant.

Sunt thesauri plerunque apud maximos reges, quorum maiores longa felicitate usi sunt, ut apud Turcam, Cæsarem nostrum, Galliæ regem, orientalesque magnos reges, maximè si studiosi sint nobilium rerum, artium que ingenuarum & uetustatis. In templo beati Dionysij aderant uasa ex achate satis magna, quorum tamen magnitudinem & materiam ars superaret: erant & alia è preciosis lapidibus: erant & gemmæ, & uetustatis insignia ensis Turpini episcopi, qui Caroli Magni ætate floruit, satis leuis, ut senem decebat: contrà grauissimus, ut uix à me tractari posset, licet breuis, ensis Ioannæ uirginis, quæ olim Gallos ab Anglorum iugo liberauerat, ut ex pondere robur puellæ dignosceres. Ornamenta quoque regum dum coronantur, ensis, calcaria, corona, galerus, uestis, & quædam alia minoris momenti. Inter cætera uerò & unguis erat cornu bouino similis, quem gryphi animalis esse affirmabant, referentes pedem huius animalis esse in ciuitate, in templo quod Senatorum aulæ adiacet. Ego uerò de

rò de hoc nihil compertum habeo, nisi quòd unguem uidi: nec scio cuius animalis esse queat tantus unguis, ni forsan excauato cornu bouino ars naturam mentiretur. Alibi sunt statuæ, imagines antiqui operis, libri exculti, animalia, plãtaq; monstrosæ, arma atque instrumenta uariarum gentium, gemmæ certæ, raræ atque prægrandes: ut Genuæ crater smaragdinus: apud Turcarum principem adamantes, & carbunculi immensi precij, quorum magnitudini urbes cedant, ni forsan & regiones.

Vas cum foliculis semper mobilibus.

Quæ uerò decent cubicula minora sunt thesauris, ut priuatæ opes regum: aderat quiddam simile in eo templo, uas scilicet cum foliculis metallicis adeò tenuibus, & ad æquilibrium suspensis (erant autem ex orichalco, ut magis splenderent) ut cùm semel uas moueretur, foliculi illi nunquam quiescerẽt: sed hoc puerile. At uasa è radicibus cannarum, & uaria concharum genera, & multa alia quæ tum in mari, tum in solitudinibus inueniuntur, uel ex longinquissimis aduehuntur regionibus, uel fortuitò reperta sunt, uel ubi ars materiam superauit, uel casus admirationẽ peperit, aut uetustas autoritatem tribuit, aut autor gratiam addidit, tum maximè uarietate delectationem adiuuante, non sunt spernenda.

Cur thesauri reconditi non inueniãtur proprio loco.

Quæri præterea solet, quòd & admiratione dignum est, & sæpe contingit, quodq; nos obseruauimus: cur thesauri qui absconduntur, ab ijsdem qui reposuerant quæsiti, non eo loco propriè mueniantur, sed quandoque procul cubito uno: adeò ut qui quærerent, subtracto existimantes, impallescerent? Id triplici modo citra miraculum contingere solet: primùm, cùm mens anxia dum recondit, hallucinatur. Secundum, cùm socius effodit ac rursus condit, ut illi tutò conditus sit: uel ut si alter breui post tempore quærat,

quærat, habeat, si multo pòst subtractum causetur: uel ut tutius conditum putet, quòd solus condidit, & bis nota terra, aut lapidibus. Tertium, cùm signa ipsa transponuntur: hoc autem sæpe contingit, & post terræmotus, & ab animalibus, hominibusúe. Melius est autem hoc existimare, quàm Telchines id facere: cùm (ut dixi) dæmones corpora non moueant.

BIBLIOTHECÆ, AC LIBRI, VARIÆQVE ANTIQVÆ MAGNIFICENTIÆ EXEMPLA. CAP. XCVIII.

FVERAT quod perpetuum est, humanæ substantiæ totum coniunctum, atque per uices incrementa suscepit ac diminutionem. Id uerò propter mortalitatem quibusdam imaginibus asseruatum est, quas libros uocare solemus. Creuit hoc studium adeò, ut referant in Aegyptia Bibliotheca fuisse septingenta millia librorum. Non satis apud me constat, an ad augendam rei famam, librum uocarint partem totius uoluminis: ita ut Physici auditus, octo dicantur libri, non unus: an pro libris, integra uolumina intellexerint. Ornamentum sanè non urbis, sed orbis egregium: tametsi non ignorem, ob conditionem humanam multa his immixta fuisse fabulosa, & longè plura inania, atque penitus inutilia. Verùm de his aliâs scripsimus. Extant & nunc non tam celebres, neq; ut olim uoluminibus uarijs refertæ, sed tamen præstantissimis. Atq; inter cæteros, hi libri nondum uulgati: Bibliothecæ cur factæ.

Oribas-

Libri non uulgati.

Oribasij Medici libri elegantissimi, si ex ungue leonem dijudicare licet.

Palladij commentaria in libros Hippocratis de morbis acutis.

Theophylus de pulsibus & excrementis, & in Aphorismos.

Isacij quoq; libri in Medicina.

Moschion de affectibus mulierum.

Georgij Conati antidota Persica, in Græcum sermonem conuersa.

Nicephorus Blemmida Græcus (nam & superiores omnes Græci autores) Vrso quoq; Latinus, ambo de Vrinis: cùm hæc tractatio imperfecta sit, licet nos eam in libro Floridorum auxerimus.

Sanctes de Arduinis, Pisauriensis, de uenenis naturalibus, artificiosisq;.

Euax Latinus de lapidibus: adhuc nunc extat.

Hero de re rustica, de machinis: Geometrica de telorum fabricatione: de his quæ spiritu constant: de sponte orientibus effectibus. Omnia huius autoris opera pulcherrima sunt.

Iosephus Racendita de uaria philosophia.

Nicephori Blẽmidæ Physica: quôd indiuiduis uita præfinita non sit. Capita item quadraginta & unum incerti argumenti. De tredecim generibus nitri, carmine.

Meletius de natura hominis.

Olympiodori commentaria in Metheora: in euidentia Zosimi.

Carminius de Italia, Latinus.

Nicephori Gregoræ de magno pisce. Compendium historiæ decem libris comprehensum.

Procho-

Prochori Cydone de lumine.

Canicleus de animi immortalitate.

Splenij Grammatici de generatione hominis.

Georgij, & Posidij de rebus naturalibus.

Philo Byzantij de septem spectaculis.

Iuliani orationes, symposium: hymnus in Solem regem: detestatio barbæ.

Sexti Empirici sermones decem, aduersus disciplinas.

Marci Tullij de uita beata: de gloria: orationes quædam, nondum æditæ.

Diodori Siculi: Polybij libri non pauci, nondum æditi.

Vrsini historiarum libri quinq.

Symocati historia totius orbis.

Petrus Numagen de Nicolao Subsyluano, qui sine cibo uixit.

Nicetæ Choniatæ de regnis Manuëlis Commeni, libri trigintaocto.

Vellij Longi orthographia Latina.

Amethi de mirabilibus mechanicis.

Lecapeni, & Zaridæ Androni epistolæ technologumenæ.

Procli mechanica.

Apollonius Pergeus de conicis elementis. Qui enim æditus est, ne umbram sensus retinet.

Serenus de cylindri sectione.

Nicomachi Geraseni geometria.

Manuëlis Moscopuli commentaria in Quadranguli inuentionem.

Vitruuij liber de hexagonis, & heptagonis. Hic pa-

rum boni præter exercitationem continet.

Geminus in Phænomena.

Manuelis harmonicorum libri tres.

Euclidis musica.

Ptolemæi musicæ libri tres, cum Aristidis expositione Græca, & Porphyrij Latina: item Perspectiua: de Arte sphærica: & Regulæ manuales astronomiæ. Sic enim uertere cogimur.

De magnitudine, & annua conuersione, cum scholijs.

Matthæi Hieromachi astronomia.

Moschi de Europa.

Nicolaus Donis de locis mirandis.

Isaac Monachi Geographia.

Dionysius Byzantius de nauigatione per Bosphorum.

Georgij Gemisti historia geographica.

Vrsonis de somniorum expositione.

Porphyrij commentaria in Ptolemæi libros de iudicijs astrorum.

Christiani Molitoris libri in Astrologia, experimento comprobati.

Theophylacti de dubijs naturalibus.

Scholastici Nili de his quæ à luce fiunt.

Theodori Essæni Ascetica.

Sirac narratio impia, & uoces animalium.

Stephani Magni de sacra & magna scientia.

Phelli de rebus uarijs.

Rugerus Venray de rebus mirabilibus, libri duo. De rebus nouis, libri duo.

Amethi medici peregrinantium uiatica.

Diuinum ænigma thoreumaticæ artis.

Ma-

Maximi Planudis de suffragijs ferendis secundum Indos.

Petri Toleti epistolæ prodigiosæ de futuris.

Bacchonis de speciebus loco syderum, & cauis speculis.

De exercitu Nabuchodonosor.

Athenæus de machinis.

Pselij ænigmata.

Demetrij Triclinij commentaria, seu inuentum.

Et pleraq; alia Græcè scripta: nam horum maxima pars Græcè scripta est: & apud Don Diegum Hurtadum de Mendotia, Hispanum, Cæsaris legatum, inuenitur, cum multis alijs. Sed non tam me tractatio mouet, quàm argumentum. Præcipua uerò duo hæc apud eundem:

Phocij de uoluminibus, quæ Græcè extant.

Damophyli de librorum selectu.

Atq; his maximè libris, plena potest haberi cognitio, quæ'nam uulgaris inuentionis sint, aut raræ. Sunt & aliqua apud me non adeò uulgata, attamen typis iam excussa. Ergo humana res his augetur & crescit. Quomodo autem stet, ac retrocedat, in libris de Aeternitatis arcanis dictum est.

Verùm res magnæ, maximæq; temporibus Romanorum extiterunt, cùm uiolenta seruorum patientia diuisi montes, æquatæ ualles, inducta maria, traducta flumina, moles erectæ in immensum, inter quas amphitheatrum tanta fuit altitudine (ut Ammianus refert) ut uix oculo summitas discerneretur. Existima uerò quantum fuerit, cùm capacitas altitudini, reliquaq; corresponderent. Propterea non malè uidetur dixisse Martialis:

Amphitheatri Romani altitudo.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro.

Quod iactat ille pyramidibus Aegyptijs fuisse maius.

Aliud mundi miraculum fuit, forum & circus Traiani: & ut recitat Ammianus, res quam æmulari non audebat constans, nedum æquare. Erat & obeliscus, cuius truncus præter pedem centum octodecim pedes altitudinis continebat: quæ adhuc manet. Alia sublimior Soli dicata in Aegypto, & ex eo aduecta à Constantino, erecta uerò à Constante eius filio, non solùm multis millibus hominum, sed etiam ergatis ac funibus absque numero. Pantheon uerò, cuius adhuc maxima pars extat, nunc dicatum beatæ Mariæ, cognomine Rotundæ, inter singularia orbis miracula censeri debet: seu magnitudinem spectes, egregium omninò: si uerò ad structuram, longè admirabilius. Rotunda ædes demetiente palmorum centum, nonaginta quatuor. Porrò palmi antiqui longitudinem alibi docuimus: tantundem altitudinis. Muri crassities palmi XXXI. fit ut ambitus sit palmi CCCLXXX. & amplius.

Obelisci magnitudo

Pons maximus.

Sed nihil maius, nihil mirabilius ponte eiusdem (Traiani dico) super Istro. Nam pilæ uiginti altitudine præter fundamenta pedum CL, latitudine ipsarum, seu crassitie sexaginta, distabant inter se pedibus CLXX, quod spatium fornicibus iungebatur. Hoc solo opere, quod meo iudicio uix potest superari, potentia Romana, & animi Traiani magnitudo declaratur. Quanquam barbarus rex ponte Asiam Europæ iunxerit, sed ligneo: Traiani pons lapideus: unde operibus ipsis nemo eum superauit, nec æquauit.

Colossus Rhodius.

Erant & antiquo tempore Colossi: è quibus Rhodius Soli dicatus (humana forma hæc moles) pedum centum uiginti: nunc amissa ars, seu quòd nesciant, seu quòd negligant. Vidimus nos aliquos, sed exiguos, nec mensuram qua-

quadraginta pedum implentes. Omnia tamen ad nominis æternitatem, aut admirationem comparata. Sed nihil hæc sunt propemodum, si ad ædificia Aegyptiorũ regum comparentur. Namque obeliscus extat in Aegypto, adhuc centum uiginti cubitos longus, uigintiquatuor crassus, sex latus: multi etiam alij adhuc extant. Et quamuis colossus sub quo Amasios regis corpus conditum sit, longè maius sit, quippe longitudinem habet pedum centum, quadraginta tria, è quibus sexaginta duo sunt à uentre ad capitis uertice: ipsum uerò caput in ambitu habet pedes centum duo: quia tamen obelisci ex uno tantûm lapide constant, colossi, ut & pyramides è pluribus: ideò obelisci, & si minores sint, sunt tamen admiratione magis digni. Vbi effossus est tantus lapis, & qua arte excisus, inde uectus, denuum ad libramentum erectus: ut in eadem re quatuor miracula se offerant. Pyramides uerò à colossis differunt, quòd colossi formam aliquam referunt, uelut Aegyptius sphingis, inferna parte leo, superiore uirgo: pyramides omnes in acutum tendant. Pyramidum iuxta Memphim adhuc numerus maximus extat, atque incorruptarum, tot iam millibus annorum, atque sine uinculis: cùm ea, quæ Romæ est C. Sestij, & si plumbo ac ferro suffulta sit, undique in angulis fatiscat. Duæ omnium in Aegypto præstantissimæ: altera minor, sed tota ex basalte lapide, quod marmoris Aethiopici genus est, ferro durius, quam Rhodope meretrix construxisse fertur: reliqua maior, cuius altitudo mille pedes superat, nam CCL gradibus scanditur, quorum singuli latitudinem habent ulnæ, altitudinem quatuor pedum cum dimidio. Sed unicuique gradui in angulo tres sunt minores adiecti, ut scandi commodè possit. Quadrata in imo, singula q latera CCCXXV passuum commu-

Obeliscus maximus.

Colossus maximus.

Obeliscorũ, colossorũ, & pyramidũ differentia.

nium interuallo distant. Intus caua, foramine ad Septentrionem spectante. Puteus etiam profundus, & in medio pyramidis cubiculum ex polito lapide: in cuius medio, sepulchrum ex nigro marmore positum est. Nonne & illud admirabile, quod Iamblichus recitat ex Seleuco, Mercurium uiginti millia uolumina scripsisse de principijs rerum, atque diuinis ac dæmoniacis potestatibus? Maius uerò quod à Meneteo, qui non uiginti millia, sed trigintasex millia, & quingenta uolumina de ijsdem, Mercurium Trismegistum scripsisse commemorat. Quasi centum annis uixerit, & ab ortu ipso singulo die uolumen scripserit: quare ego potiùs uersus pro uolumine intellexerim: est etiam illud permagnum: attamen hi, non uersus, sed uolumina scripserunt. Debuerat hoc inter miracula hominis connumerari, si certum esset: sed cùm ex ea schola profluxerit, ubi tot fabulæ narrantur, huc, ubi leuioris authoritatis res narrantur, illam reposui. Existimandum est autem quotquot illa fuerint, perijsse cum bibliotheca illa, quam Cæsar ignibus consumpsit. Et certè etiam si solùm carmina totidem fuerint, non uolumina, res tamen mira fuit, sacerdotem, regemq; simul, ea ætate tot in uno argumento diuersa inuenire potuisse.

Mercurius Trismegistus trigintasex millia, & quingenta uolumina scripsit de rerum principijs.

Græcia mendax.

Labyrinthus

Memorabiles etiam sunt labyrinthorum structuræ: atq; de his duo exempla adduxisse sufficiat: alterum Herodoti, in Aegypto: eius uerba sunt: Si quis ex Græcorum narratione muros, & operis speciem ratiocinetur, minùs concipiet, quàm pro labore, & sumptu huius labyrinthi. Tametsi & Ephesi templum est memoratu dignum, & in Samo, tamen pyramides erant ad narrandum maiores: quarum singulæ multis ac magnis operibus Græcis æquiparandæ sunt. Sed eas quoq; labyrinthus antecellit. Etenim duodecim

cim eius aulæ sunt tecto opertæ, portis oppositis altrinsecùs, sed ad Aquilonem contiguæ, totidem ad Austrum uergentes, eodem extrinsecùs muro præclusæ. Bifaria sunt in eo domicilia: una subterranea, altera superiora illis imposita: utraque numero tria millia quingenta. Quorum ea quidem quæ superiora sunt, ipsi uidimus, & quæ aspeximus, enarramus. Subterranea uerò auditu didicimus: nam præpositi Aegyptiorum nolebant ullo pacto illa monstrari, quòd dicerent illic sepulchra esse tum eorum regum, quî ædificandi labyrinthi fuêre autores, tum sacrorum crocodilorum. Ita de inferioribus ædificijs fando, cognita referimus. Superiora ipsi aspeximus, humanis operibus maiora. Nam egressus per tecta & regressus per aulas diuersissimi, infinita me admiratione afficiebant. Ex aula in conclauia transitur: ex conclauibus in cubicula: è cubiculis, in solaria alia: è conclauibus, in alias aulas. Horum omnium lacunar, quemadmodum parietes, lapideum est, sculptilibus passim figuris ornatum. Singulæ aulæ, maxima ex parte, digesto lapide albo columnarum ambitu redimitæ. Angulo quo finitur labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta passuum: in qua insculpta grandia animalia, ad quam iter sub terra fit. Et cùm talis sit labyrinthus, tamen stagnum Myrios, ad quam labyrinthus ædificatus est, plus præbet admirationis. Reliquum uerò à Plinio sumptum est: id ita se habet: Namq; & Italicum labyrinthum, dici conuenit, quem fecit sibi Porsena Hetruriæ rex, sepulchri causa: simul, ut externorum regum uanitas, ab Italis superaretur. Sepultus est sub urbe Clusio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm: inq; basi quadrata, intus labyrinthum inexplicabilem: quò si quis improperet,

ſine glomere lini, exitum inuenire nequeat. Supra id quadratum, pyramides ſtant quinq̃, quatuor in angulis, & in medio una: in imo latæ pedum ſeptuagenûm quinûm, altæ centum quinquagenûm: ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus, & petaſus unus, omnibus ſit impoſitus, ex quo pendent excepta catenis tintinabula, quæ uento agitata longè ſonitus referant.

Achillis ſepulchrum.

Sed & quædam uetuſtate nimia adhuc ſtantia inſignia ſunt: uelut Achillis ſepulchrũ in Sigeo promontorio Phrygiæ, iuxta Troadam: & Proteſilai, qui & ipſe ad Troiam iuit, Laodamiæ coniux fuit, Theſſalus natione. Bellonius refert, conſpici procul ambo nauigantibus Conſtantinopolim, quòd ſint in tumulis: alterum quidem Capitis Gymneſei reliquum Capitis Iargani. Annibalis quoq̃ in arce Libyſſæ adhuc manere referunt. Eſt autem Libyſſa urbs Bithyniæ, quam nunc Diacibe uocant: diruta ſolo, ſed colliculus muro circumdatus arcem habet: & ipſa ciuitas mari alluitur. In Ebrom quoq̃ ſepulcha nunc ſunt (ſed templis Mahumetanorum circumducta) Abrahami, & Iacobi, quem fratrem Domini uocabant. Atq̃ eouſq̃ proceſsit humanus faſtus ac pompa.

Proteſilai ſepulchrũ.

Abrahami ſepulchrũ.

Iacobi ſepulchrum.

RESOLVTIO A' FINE, QVA HABETVR VSVS INVENTORVM. CAP. XCIX.

VMMVM negocium eſſe uidetur, ut rerum inuentarum uſum agnoſcas. Vſus uerò finis eſt: & ex fine principia, ex principijs conſequuntur aliqua, quæ digna ſunt ipſo fine: ueluti in Geometricis, ad id quod latus recto angulo oppoſitum in orthogonio trigono tantum

tantum potest, quantum duo reliqua, quæ angulum rectum continent. Et in Arithmeticis, quòd cubus totius, æqualis est cubis partium, & triplo producti cuiuslibet partis in quadratum alterius mutuò. Quæ uerò ex talibus sequuntur, facilius habentur, quàm finis inuentio, aut principiorum ex fine.

Et similiter in mechanicis proposito fine, ueluti, an uitrum posit durescere quærendum est: & quantum scilicet, ut à lima non tangatur: uidendum deinceps quomodo. Scimus enim durum trifariàm dici: aut quod penetrat, nec flectitur, uelut chalybs: aut quod tenax est, ut aurum & funis: aut quod non tangitur à lima, nec facilè eroditur, ut gemmæ pleræq. Est etiam duplex duri ratio, quod facilè penetrat: ut uitrũ, & ut chalybs. Sed hic modus ex primo & secundo constat: nam quodcunq durum est, ut penetret, si idem flectendo facilè non frangatur, idem etiam durius erit, quàm quòd flecti ullo modo nequit. Sed est etiam alia ratio densitatis: densa enim, duriora semper pari ratione, quàm rara. Durum igitur est etiam quarto modo dictum, nam palàm est chalybem, qui flecti omninò nequit, quoniam sæpius in aqua frigida extinctum sit: aut alia ratione uitro, tamen esse durius: quamuis enim ubi par sit flexio, pariter facilè etiam frangantur: chalybs tamen, ne flectatur magis resistit. Adamas uerò quamuis leuis, tamen uitro longè durior, imò etiam forsan chalybe est: cùm hoc genus duritiei à tertio genere distinguatur. Oportet igitur species omnes diuidendo seorsum distinguere: caueréq, ne causam cum specie confundamus: ostendere præterea quòd ita sit: atq id est secundum propositum. Ex hoc in causarum inuentionem procedimus, ex quibus etiam uenabimur causas, quæ ad rem ipsam conficiendam pertinent, utpo-

Durum trifariàm dici tur.

te an à calido, an à frigido? an potestate, uel actu? an continuato, an alternante uicissitudine? an uehementi, an moderato? an sicco, uel humido? an diuturno, an breui? an proprietate quadam indigeat? atq; ita de cæteris. Vltimò quærenda sunt, quæ istud possint: modi, loci, instrumenta, ut opus ipsum perficere liceat. Primùm ergo expedit scire, quæ nam sit hæc durities gemmarum: nam non aliam quærimus, quàm hanc ultimam, scilicet ut lima non atteratur, ferroq; non tangatur: neque enim malleo carbunculus adeò, ut chalybs resistit: nec si flectatur, quantum ferrum simili forma & mole: nec ad tenuitatem (ut aliàs diximus) uitro quicquam deficere uidetur: & tamen duram gemmam uocamus, & lima, ferroq; intactam, non uitrum, non ferrum, aut chalibem, aut aurum. Quæ igitur hæc est durities? nitor certè, seu leuitas, non perspicuitas: uitrum enim perspicuum, nec durum: & onyx bicolor dura, nec perspicua: pluresq; achatum species. Est igitur hæc durities, leuitas, unde lima non adhæret: erosio enim omnis fit, cùm corpus mobile fixo, aut alteri mobili hæret: at non potest ita hærere, ut occurrat, si non occursárit, non auellitur. Propterea frustula si occursarint, à lima auelluntur, sed non est hæc erosio, sed fractura. Ergo gemma non erodi tur, quia leuis, & quia leuis polita nitet: & leuis est, quia densa, nec sensibilibus foraminibus peruia. Neq; tamen omne densum est graue, sed quòd materiam in se plurimam continet. E' subtilissimis ergo partibus gemmæ constant, quæ sic sibi inuicem adhærent, ut nullum foramen pateat: tenuis tamen substantia illarum est, & ob id pondere leues sunt. Quomodo ergo leuis substantia, densa: hoc pulcherrimum est quæsitum: sed quia ad rem nostram nihil facit, præstat omittere. Est enim hoc ex præceptis etiam utilibus

unum,

unum, omittere quæ non sunt necessaria: quando quidem ipsa necessaria sola, plurima sint, & longa per se indigeant inquisitione. Quæ igitur cogere possunt, possunt & duram efficere gemmã, cùm replere foramina haud liceat. Quòd si quis uehementius lima angulum premat, palàm est quòd auferet quicquam ob occursationem partium: sed fractura erit, non erosio. Et hic aliud dubium est, cur fractura dicatur? quia maior est pars, quæ aufertur, quàm ut lineæ denti respondeat. Et rursus aliud quæsitum, cur ergo aurum, quod densum est, lima atteritur? Itaq; (ut dixi) & hoc unum est ex præceptis maximè necessarium scire, quæ omittenda: ac ut in pictura finem imponere, manumq; amouere. Verùm ut ad rem redeam, astringenda est substantia gemmarum: id frigore fit, sed maximè post calorem, ut in pennis, dum cinere quasi liquescunt: at colliquescunt, nisi diu igne calefacta. Oportet etiam quod terreum est, separari, quoniam prohibet partes cohærescere, uitrũ quamdiu coquitur, durius euadit, partibus terreis euanescentibus: quæ igitur colorata sunt, dum ulterius excoquuntur, colorem amittunt: natura uerò colorem retinet exhalatione factum: uerumtamen uix & ipsa quicquam durum, & coloratum efficere potest: ob id adamas gemmarum durissima: in ultima enim ac perfectissima coctione color euanescit, quia terreum absumitur, nec exhalatio absq; substantia manere, aut uix potest: quæ igitur durissima gemmarum esse debet, necessariò & candidissima. Rursus & mollissima, candidissima scilicet crystallus: nam cùm pura sit, facillimè concrescit: atq; etiam ea causa crystallus in frigidis regionibus, & in superficie terræ nascitur, cùm nulla alia gemma sic possit perfici: sed in alio genere molles euadunt, & à lima tangũtur, ut carbunculi, amethysti, & smaragdi,

Adamas cur gemmarum durissima.

Crystallus aut gemmarum mollissima.

ragdi, atq; hi quos irides uocant. Quòd si aliqua durescat, non in superficie, sed imo terræ cogitur. Igitur gemmam ullam igne fieri haud licet: nam si durescere debent, oportet attenuari, atq; ideo colliquari, & diuturnis ac feruidis ignibus subiacere, ut color euanescat: non igitur ulla colorata gemma sic fieri poterit. At nec adamas ob extremam substantiæ tenuitatem, quamobrem nisi crystallus fiat, nulla fieri poterit: at hæc uilis atq; exigui precij. Ita uides à fine subtilem omnium singularium rationem, eorum quæ ad finem necessaria sunt, subtiliter deduci posse. Hoc itaq; tam paruum, quanti referat scire, seu sit, seu non, uides: cùm si esset, ad mille talenta pretij peruenirет: scire autem, quia non licet, ad tria.

Gemmas arte confici non posse.

De generali autem fine, quod non tam utile est, uerùm eò pulchrius, quò minus utile, nunc dicendum. Consuluimus enim communi omnium hominum utilitati, diuina ob id relinquentes, quòd eorum cognitio, quamuis utilissima, non tamen ad opera, & machinas, aut lucrum dirigitur. Atq; utinam, quanquam uerum, id persuadere potuissem, scilicet ea contemplatione, ut nihil diuinius, ita nihil etiam esse hominibus accommodatius. Cæterùm ea ratio, quæ à fine ortũ sumit sic deducenda est: omnia quæ fiunt, aut ui quadam uniuersi contingunt, naturaq; generali, quæ in elementis cernitur, aut propria: de prioribus est liber primus. Propria autem aut naturalia, aut artificiosa, aut ratione quadam occulta fiunt. Naturalia sunt ergo, quæ uel ui cœlorum ac luminis, & influxus, aut mixtorũ, aut metallorum, aut lapidum, aut plantarum, aut animalium, aut hominũ, aut regum, & Reipublicæ alicuius: fiuntq; octo libri. Artificiosa uel ad motum pertinent simpliciter, aut cum calore, aut communia sunt, aut subtiliora, aut humiliora: fiuntq;

quinq;

quinq; libri. Nihil autem, ut hi sint sex, priores autem septem tantùm, cùm ultimus uarijs rationibus his, & prioribus fermè ex æquo adiungi possit. Quæ autem ratione quadam occulta proueniunt, aut generalem habent coniecturam, aut artificiosam, aut docent non solùm diuinare, sed facere, ut constituantur libri tres, atq; in uniuersum decemseptem. Non igitur pluribus indiguimus, nec pauciores satisfaciebant.

Est & tertius modus resolutionis, ab humano fine, qui triplex est: animi, & hominis, atq; corporis. Animi quidem, uelut tranquillitas cum gaudio, & reliquæ uirtutes, quæ simpliciter optimæ sunt. Cùm uerò eò perueneris, ut cognoscas, & uirtutem omnem, & scientiam à Deo omninò proficisci, iam habes indicium, te ab illo diligi: quoniam & sapientiam, & gratitudinem tibi simul largitus est. Quod si præterea agnoueris in te animum immortalem, iam ad summam bonorum possessionem peruenisti. Eris enim fœlix, & ἀπαθὴς seu ἄτρωτος. Corporis bona, diuitiæ, sanitas, & robur. Hominis uerò, scientiæ, & artes, filij, & amici, comitas, & urbanitas, prudentia atq; solertia: hæc enim differunt: prudentia in iudicando, solertia in inueniendo constat: persæpè diuelluntur, quandoq; unà etiam sunt, quibus accedit honor. Hæc est summa bonorum: nouem quidem ad hominem, quatuor ad animum pertinent, & tria ad corpus: uniuersa sexdecim. Oportet ergo scire, quomodo adipiscenda, & quæ magis necessaria, aut præstantiora. Hæc triplex resolutio à fine, iuxta quam hic liber est constitutus: tum libri de Subtilitate, atq; de Arcanis æternitatis præcipuè: tum & alij, sed non adeò necessarij, cùm hi sint præstantiores.

CAV.

CAVSA SCRIBENDI HOS LIBROS, ET EORVM VTILITAS. CAP. C.

Cur de Deo & intellectibus cœlestibus hic non pertractet,

TAM igitur de toto uniuerso, partibusq; eius abundè tractatum est. Neq; enim de Deo, aut alijs intellectibus cœlestibus hîc tractare expedit, quòd non sint partes uniuersi, sed aliquid melius atq; diuinius. Præterea tractatio hæc tota ad opus ipsum pertinet, Deus & supremi intellectus ad opus nostrum spectant, nam cœli medio operantur. Quæ etiam absq; illo fiunt, ad miracula pertinent, de quibus dictum est. Præterea tractatio hæc ad libros de Mysterijs æternitatis attinet, unde ad illam reijcienda. Ibi autem Deus ex opposito cognoscitur in eodem genere: hoc autem est intellectus noster, ut intelligat statim semper perfectè absq; dubitatione, ex se, non à rebus sine diuisione, quoniam nostro intellectui horum contraria conueniunt. Medijs autem ordinibus medium inter extrema conuenit. Hæc igitur tractatio præsens, absoluta est atq; perfecta.

Deus, & cœlestes intellectus quomodo cognoscãtur.

Hanc igitur tractationem, ut in libro de Libris proprijs exposui, somnio monitus sum, ut in tres libros diuiderem, atq; ea ratione, ut in primo de naturalibus, in secundo de artificiosis, in tertio de supernaturalibus, aut quæ his similia sunt, tractarem. Eo uerò ordine, ut similia similibus copularem: sic enim ordo esse debet in tractando. Similia uerò sunt aut forma, aut uiribus, aut nomine. Forma, uelut cùm in tractando de piscibus, balenam cum delphino & tursione copulamus: forma, re, similes fermè sunt. Aut si de uiribus rhabarbarum cum agarico, & helleboro. At

Ordo in libris tractandorũ qualis esse debeat,

ro. At cùm de nominibus, alphabeti ordinem sequimur. Quamobrem miror de Galeno, qui cùm uires medicamentorum conscripserit, ordinem elementorum secutus sit. Tabulis enim & lexicis hic ordo elementorũ congruit. Vtilitas enim non leuis habetur in iungendo similia similibus, quãuis maiore cum difficultate id fiat, quam forsan Galenus uitauit, ut si de forma agatur, alterum ab altero facilius discernatur, & ut melius memoriæ commendetur. Si de uiribus seligere poterimus, rem proposito accommodatam licebit minore cum labore postquã discrimen euidentius apparet in proximis. Nihil uerò nos magis perturbauit, quàm cùm alia, & alia ratione idem in pluribus locis collocari mereretur: tunc enim perplexi secuti sumus proprium iudicium. Neq; negamus forsan potuisse aptius alibi paucula collocari, sed maluimus exquisita diligentia in utilioribus uti. Par enim stultitia est maxima negligere, & minima prosequi, quando alterum ex altero oriatur. Cùm uerò ad ordinem naturæ respexi, opus totum in septemdecim partes diuisi. Neq; absurdum est, potestate tres in partes esse diuisum, ut quod de naturalibus, & artificiosis, & supernaturalibus esset, demum in totidem quot sunt, distribueretur. Prima ergo ratio diuisionis, alia fuit, quàm quæ subsecuta est. Verùm finis est cunctorum cognitionem illam duplicem habere, an liceat assequi, & quomodo: neq; enim propter hæc paucula, quæ hîc conscripta sunt, librum hunc confecimus, sed ut infinitum sub finito contineretur, multa quoq; paucis. Sed quid est, quo singula exploremus? an non esse possint, aut fieri? Duplex enim quæstio, atq; rursus utraq; duplicata, quod enim esse dicimus, quibus causis quod fieri posse, quomodo? Multi autem eùm scripserint, ut exemplo appositè utar, unus nuper non sanè iuxta etymum

nomi-

nominis multa pollicitus, absurda scripsit. Velut regressum in ætatibus, in quo sufficit scire, quia esse non potest: & uitri in gemmas transitum: qui quidem non aliud est uerè, quàm ut durescat. Hoc autem quatuor uerbis sic descriptum est à nobis, longioribus ac pluribus ab eo: Lapidem herculeum in calcem redige, in loco humido pone, in aquam uertetur: calchanto eam misce, ut liquamini similis sit, distilla: aquam cum farina ordei pinsito, circumdato uitro, in clibano pone tantisper, donec panis exeoquatur, & durescet. Hic plures errores, ut ita dicam, quàm uerba. Iam enim ostensum est, rem ipsam non esse possibilem, multò minùs à tam leui, breuiq; calore, cùm liquescere necessarium sit. Verùm ut ad singula deueniam, distillata aqua ex calce ignea est, tale enim quod aduritur: nihil autem, ut ostensum est, ab igne cogitur, uereq; attenuatur. Deinde calchantum admiscet: cùm uerò distillatur, fit erodens: quomodo ergo ab erodentibus durescet? Ego uiride uitrum ea arte factum, qua aliàs docui, cùm aliquot diebus aquæ separationis immersissem, pinguedinis quidem aliquid amisit, factumq; est nitidius, sed eô tamen fragilius. Excalefacit in clibano dum panis coquitur: hoc inane est, & omninò illius stultitiam, atq; inscitiam aperit: nam ut colliquetur uitrum, non sufficit, & solùm tenuiores partes soluere potest atq; dispergere: quibus sublatis, & nihilo durius, & multò fragilius, & minùs splendidum euadet. Hæc igitur sunt commenta eorum, qui ratione carent. Sed & ex his, quónam pacto uerè durescere possit, si possit, deprehenditur? Hæc igitur ratio in omnibus, quæ uel nobis fortuita cogitatione obijciuntur, aut à Plinio, uel Alberto, aut empiricis alijs referuntur. Cùm igitur in inuentione utilium problematum tria sint necessaria, ipsius quod quæritur notitia,

titia, hi libri hoc præstare poterunt, uelut aliquod lumen excitans mentem nostram, haud tamen docens. Scientia uerò ueritatis ad hos libros spectat, tum præcedentes. Iuuat autem esse exercitatum in omnibus his, quæ ad naturalia pertinent, scilicet his ac præcedentibus libris, tum etiam sequentibus de æternitatis Arcanis præcipuè: in his enim quæ consequuntur, quæ repugnant, abundè docui & ratione, & exemplis, ac potissimũ in his, quæ hîc ac præcedenti sectione explicantur. Nulla enim exercitatio potior, quàm hæc: omnium uerò quæsitorum substantia, omnis ratio, omnis uis inuestigandi, in hac extrema parte, duabusq; sectionibus ultimis reposita est. Et nisi temporis breuitate cogerer finem imponere, & etiam quia stupidis, & uulgo hæc non sunt aperienda, & (ut dici solet) sanctum dare canibus, frequentioribus uterer exemplis. Quanquam liceat, & per omnes libros tales processus inuestigandæ ueritatis passim cernere, ac perfectos quibusdam in locis magis, quos si unà collegeris, & inuicem etiam comparaueris, multò facilius licebit cuncta inuestigare. Tertia principalis utilitas fuit, ut docerem modum tradendi per causas, quem cùm Vitruuius non obseruârit, posterioribus sæculis eius scripta adeò obscura euaserunt, ut & libri eius sint inutiles, & gloria illius futura sit minor: tandemq; tot labores negligantur ob obscuritatem. Qui error fermè in cunctis artium scriptoribus magnam iacturam, & famæ illorum, & artium splendori, & posteris ipsis attulit. Erit ergo hoc opus pro exemplari, ut quisq; intelligat, quæ obscurè, quæ clarè, quæ concisè, quæ multis uerbis tradenda sint: aliudq; esse obscurè, aliud concisè, aliud absq; ratione tradere: nam hoc solo modo res, quæ nunc faciles sunt, successu temporis adeò difficiles & obscuræ euadunt, ut prorsus intelligi

neque-

nequeant, fiantq; inutiles. At obscura & concisa cum ratione tradita, indies euadunt clariora. Cùm in alijs, nominum, & rerum, ut uasorum, & uestium, linguæq; mutatio, iniuriam, imò perniciem afferat. Sed iam ista mittamus, causamq; reddamus, cur hos potiùs, quàm alios libros, eoq; ordine, conscripserimus. Cùm igitur naturalia alia ad totum, & primas eius partes, quæ modò subiacent sensui pertinerent, in primo huius operis libro secundum, & ultimi partem comprehendimus librorum de Subtilitate, tertio & quarto secundus, cæteris usque ad nonum singuli respondent. Nono & decimo septimus, quatuor sequentibus octauum dedicauimus, atque hucusque strictim, plúresq; paucioribus: tum quòd in libris de Subtilitate diffusius tractata essent: tum quòd minus hæc ad opus pertinerent, commutantur. In reliquis contrarium accidit: nam decimoseptimo quatuor, & decimonono tres dicati sunt: quoniam materia ampla, minusq; tractata in libris de Subtilitate. Qua ratione nec decimum quintum, nec decimum sextum, nec uigesimum, nec uigesimum primum pares confecimus. Sed nec primo, aut decimo octauo: uerùm hos quòd multa continerent, & uarij generis, inseruimus alijs. Itaq; diluciori doctrinæ causa, hanc tabulam sequentem exarauimus, ut quisq; intelligat singulorum librorum utriusq; operis comparationem, & quis cui conueniat. Manifestum est igitur, quòd hoc opus (quod aliàs sæpè diximus) exercere docet, quæ generaliter in libris de Subtilitate, & contemplationis solùm causa dicta sunt. Diuinorum uerò praxis, ut isti appellant, ad libros de Aeternitatis arcanis translata est, tum ob magnitudinem, tum etiam ob diuersitatem maxmam eorum, quæ pars hæc amplectitur. Iam ergo doceuimus, quæ nam esse possint, aut fieri, & quæ non. Modum

quoq;

quoq; eorum, quæ à natura fiunt aut arte, quæq; rursus utilia, & quæ non: finem quoq; humanæ huius conditionis, & quæ illi conueniant, & quæ non: atq; hæc ita scripta, ut non facilè multa, & non omnibus pateant. Reliquum igitur est, ut solùm Deo omnium bonorum autori, perpetuas agamus gratias: illud clarè obtestantes, nihil horum nostrum esse, sed suum. Placuit autem illi, nos huius tractationis esse ministros.

FINIS.

BASILEÆ,
PER SEBASTIANVM HENRICPETRI, ANNO SALVTIS NOSTRÆ INSTAVRATÆ,
CIↃ. IↃ. XXCI.
Mense Septembri.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1269-4
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1270-5
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1271-1
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1272-7
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1273-2
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1274-8
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1275-4
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1276-9
DFG